

currit in sanctorum disputationibus Patrum solutione locorum ab Hæreticis ob-
jectorum? Denique miseris his temporibus non Catholici tantum strenuè suam
fidem è Scripturis tuentur: Sed & Papistæ (addo ego, & Lutherani, & Ana-
baptistæ, & Sociniani, & Arminiani, ac reliqui Christiani omnes) audent
iisdem abuti subinde, ostentareque earum auctoritatem tanquam suam. Quod
fieri nequit, nisi eosdem locos alii aliter intelligant. Cùm igitur nihil non in
S. Literis reperiatur ambiguum, nec quilibet sensus sit verus, sed ille dun-
taxat, qui menti Scriptoris congruerit, nec hic per se pateat, nullus etiam
locus erit per se clarus.

7. Atque his omnibus adde, permulta Scripturæ loca esse, quæ semel tan-
tùm in divinis libris dicta, cum aliis similibus conferri nequeunt, qualia
plurima profert Stapletonus lib. 11. Controvers. cap. 10. nec etiam semper
ad loca, quæ ab ipsis clara vocantur, in Scripturæ explicatione perveniri
posse: sed in obscurioribus sæpissimè sistendum esse, qualia non pauca sup-
peditant in V. Testamento Scripta Prophetarum, ut & liber Jobi, & in
Novo Apocalypsis Johannis. Quorum sensus tamen non obstante obscuri-
tate ab interpretibus cùm exponuntur, non ex claris, adeoque nec ex Scri-
pturâ, sed aliunde hauriuntur, nisi obscurum per obscurum explicari posse
statuant, ac sic sibi apertè contradicant.

8. Denique omnibus his allatis difficultatibus non subvenitur, nec Re-
formatorum sententia fulcitur Regulis in hunc finem ab iis allatis, quales
sunt. *Non semper inhærendum nudæ literæ, sed & verus literalis sensus est
eruenus, qui aliquando proprius est, aliquando figuratus: sæpe etiam Allego-
ricus est quærendus. Sensus literalis proprius semper retinendus in Explicatione
Scripturæ, nisi falsus sit. Et semper (quæ est Augustini regula) verborum pro-
prietas est retinenda, nisi quædam bona ratio tropum suadeat. Cùm intèr parit
absurditatem, propriè si accipiatur, confugere debemus ad didvovav. Quæ figuratè
dicta sunt, non sunt propriè interpretanda, & contra. Talia subjecta, qualia à
prædicatis esse permittuntur, & prædicata pro ratione subjectorum accipi oportet;
seu ex subjecti naturâ est petenda prædicati determinatio. Si præceptiva lo-
cutio est, aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem, aut beneficentiam
jubens non est figurata; Si autem flagitium & facinus videtur jubere, aut uti-
litatem, aut beneficentiam vetare; figurata est. In Scripturis interpretandis,
ante omnia, quid Deum deceat, considerato. Sensus ne illatus esto, sed innat-
us: verbaque intelliguntur, αὐτὸν πρὸς ἑαυτὸν &c. Etenim (præterquam quòd si
præter Scripturam, hæc Regulæ in interpretandò Dei verbò adhibendæ ve-
niunt, utique non videtur esse Scriptura sufficiens se ipsam interpretandi nor-
ma, quòd est contra ipsorum sententiam;) omnium talium Regularum auto-
res, fautores, ac collectores rogatos velim: undenam innotescet, quid in
S. Lite-*